

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

De vsu sententiarum. Cap. XLIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

nem, & à quibus ea maximè debeant usurpari.

De usu sententiarum.

Cap. XLIV.

SENTENTIA est oratio aliquid enuncians dicens
Vniuersali, quae sit optanda, aut fugienda: ut, bonum
est ex virtute vivere; nolle mortales iracundiam seruare
immortalem. Duplex autem est sententia; una, quae sim-
plex dicitur; altera, quae habet rationem adiunctam, &
illam quidem aut implicitā, aut explicitam: si habet ex-
plicitā, appellatur proprio nomine, pars enthymematis; si
implicitam, sententia enthymematica. His verbis, usum
esse memini Aristotelem. Simplex sententia est illa: Bo-
na est religio Christiana. pars enthymematis est: non est
gaudendum ob mortem inimici, quia poterat conuertere
ad Dominum; ratio, cur non sit gaudendum, est, quia
fortassis melior effectus, Deo seruire potuisset. Quam-
plurima autem sententiae, quae sunt in libro, qui inscribi-
tur Ecclesiasticus, dici possunt partes enthymematis: Nè
dixeris, peccavi, & quid mihi accidit triste? subiungit
rationem. Altissimus est enim patiens redditor: expli-
cata est ratio, quamobrem nemo debeat sperare, se posse
effugere iustitiam Dei; ergo non est peccandum. Enthy-
mematica sententia est: nè contendas cum viro locu-
plete; ac si diceret; Prouocatus homo diues, litigat, ac
perturbat proximum, ergo noli contendere cum viro
locuplete. Sacra litera abundant sententijs, quae suo
loco collocandae sunt, nec inculcandae, vt ostentatio-
nis suspicio vitetur, & nè copia satietatem pariat ani-
mus, vt plerunque solent, firmis etiam corporibus, cibi
nimium

niniūm delicati et valdē nutrientes, satietatem afferre; explicāda sunt potiūs, & exponendā quēdam sententia: aliae, quae ad rem pertinere non videntur, in aliud tempus reýcienda. Praeclarissimā reperiuntur in Proverbijs, & in Ecclesiaste Salomonis, in libro Sapientiae, atque etiam in Ecclesiastico. In psalmis Dauidis magna inest sententiārum copia; sed nullae sunt grauiores, nullae quae maiorem vim habeant ad per suadendum, quām eae, quas D. N. Iesus Christus protulit, quae maxima semper cum veneratione ac præfatione, sunt populis proponendae. E multis autem, quae in sacris libris continentur, hæ excepēdæ sunt, ac tractandæ: Attende tibi: Memorare nouissima tua: Altiora te nè quæsieris: Deum time, & præcepta eius serua, hoc est enim omnis homo. Ex eis vero, quae D.N. Iesus Christus protulit, hæ tractari sæpiissimè consueuerunt: Non possumus duobus dominis inseruire, Deo et mammonæ: Qui amat animā suam, perdet eam: Qui diligit me, sermones meos seruabit: Qui vult venire post me, abnega get se metipsum; tollat crucem suā, & sequatur me. Quarum sententiārum usus & tractatio, si iudicium adhibeat, in omnibus ferè concionibus potest, maximo cum audiētū fructu, accommodari. Senum esse proprium proferre sententias, scribit is, quem nominaui, Aristoteles: quod cùm nà sit, presbyterorū erit, eas proferre, quamuis non sint senes, modò in illis insit canities mētis, & morum grauitas. Hortarer tamen clericos, nè præceptum grauiissimi philosophi contemnerent; copiosius potiū tractarent, quae sibi dicenda proposuerunt, quām in consarcinandis plurimis sententijs, quod non est difficile, nec admodum utile, laborarent.

De vsu